







Rep. LXII<sup>A</sup>. 2. no. 62.

15,825



Magnificus

*Academiae Francofurtanae*

RECTOR

*Illustris & Generosus Dn.*

**DN.**

FERDINANDVS

Liber Baro de Biberstein

*Dn. in Forst & Pforten &c.*

PRORECTORE MAGNIFICO

*V. CL. DN.*

M. DAVIDE ORIGANO

Mathematicum Professi. Publ.

*Ad deductionem funeris, quod*

*Nobiliss. & doctiss. Iuveni*

Dno. HEINIO DE PFVEL

*hæredi in Gartzin & Trebnitz*

*solemniter in paterno solofiet:*

*honorificè autem efferetur*

ad diem VIII. Iulij anni 1603.

*Cives Reipubl.*

*Literaria*

*Universos invitat.*

*Typis Scieurinis.*





M. D. WILHELM

1784

RECTOR

1784

FERDINAND

1784

1784

1784

M. D. WILHELM

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784





# RECTOR ACADEMIAE.

**S**I adversus inevitabilem fati necessitatem, vel natalium splendor, vel familiae decor, vel speciosissimus ipsarum virtutum color possent quicquam: nihil opus tristia publice denunciari Mortuali a nobilissimam i quondam modestissimiq; juvenis D. HEINRICH Pfuel, quem majorum Parentisq; celebritas luce, familiae amplitudo & dignitas honore & amore, studiorum Virtutumq; maiestas vitam dignissimum perpetuo ostendebant. Sed quia Parca illa, antiphrastice sic dicta, nulli neq; honori neq; aetati parcit, & Atropos quasi inflexa, sine lege ac pro libitu tam hos quam illos ferit: exemplum humanae fragilitatis nobis iterum proponi, nosq; in meditationem brevis aevi & huius incerti, rursus adduci; ad caelestium & vere immortalium bonorum desideria magis accendi, hodierno funere necessarium credas

Aij



um credamus. Nihil enim vitæ nostræ fugacitatem  
magis quam inopinatus in ipso ætatis flore adolescentū  
obitus demonstrat: nihil æquè oculos ad exoculatum  
istud Mortis Idolum falcemq; ejus, quam subita viridi-  
um etiam herbarum defectio conuertit: nec excitari in  
nobis majus cælestem acquirendi gloriam & bona illa  
nunquam peritura desiderium quam inde potest, vbi  
quæ hic admiramur & suspicimus tam subito eripi  
amittiq; conspiciamus. Adeste ergo Ciues Academici &  
in Pfulij nostri fato, conditionem singulorum lugete,  
quot Morti ad nos portæ sint: certè non centum vt The-  
bis, quas vocabant Hecatompylon, sed infinitæ, paucis  
animadvertite. In lucem hanc productus erat Pfulius  
anno Christi 1583. prid. Kal. Iulij à Parentibus,  
magnifico illo strenuo & nobilissimo Archistratego dn.  
HEINIO à Pfuel, cujus fides, integritas & virtus  
heroica non solum illustrissimis Marchiæ Principibus  
& Electoribus, quibus à consilijs quondam erat bellicis:  
sed exteris etiam Ducibus in Gallijs, Vngaria, Dania,  
Belgio sic fuit cognita, ut in admiratione & venerati-  
one esset omnium: matre autem nobilissima Catharina  
Bredovia, ex domo Cremmensi, fœmina omnium virtus  
tum matronalium laude decorata. Prætereo hic splendo-  
rem & celebritatem majorum: velut auj dn. Georgij à  
Pfuell



Pfuell in Friedersdorff / proavi Melchoris à Pfuel  
in Quielitz Consiliarij Brandenburgicj, abavi Nico-  
lai à Pfuel in Lauenburgk, qui cum illustrissimo E-  
lectori sua probasset undiq; studia & in patriam merita,  
non solum Bricensium oppido cum sex pagis donatus, sed  
& Equitis aurei dignitatem consecutus est : at auj  
Heinij à Pfuel, qui Electori Brandenburgico ante  
annos bene longos à consilijs fuit. Nec maternam præ-  
dicare libet prolixè lineam: aviã Dorotheam de Bismar-  
ken ex domo Borgstell, Hassonis à Bismarken filiam,  
proaviã Margaretham à Krummenseh in Landsberg  
Ebelis à Krummenseh filiam : abaviã Catharinam de  
Arnim ex domo Zichouu Iohannis ab Arnim filiam:  
atauiã Liboriam à Berfeldin &c. quorum & quarum  
omniũ memoria est ευλογίας. Satis enim paternum un-  
diquaq; claruit nomen, quod in omnibus militiae ordini-  
bus & præfecturis augustum fuit. Iam quia fortes cre-  
antur fortibus & bonis : quem non istius tãtã latis-  
simæ arboris fructum sperare, quod non solum corporis  
at animi etiam robur expectare quondam licuit? In-  
tellexerat autem Parens ille magnanimus, & ab alijs  
decantari passim audierat quantum prodesent literæ,  
non pacis duntaxat, at bellorum etiam temporibus: ubi  
consilia nec tutius nec melius quàm quæ ex cognitione  
rerum

Aij

rerum



rerum alibi gestarum, observatione locorum, morum,  
armorum, dimensione turrium, aggerum, montium;  
directione aeneorum tormentorum, uno verbo ex studijs  
sive historicis sive Geographicis, sive Mathematicis  
sive alijs petuntur: Sicut ad bella etiam inter gentes  
quascunq; seu inter reges sedanda nil idoneum, nil ma-  
gis accommodatum literarum munere excogitari posse,  
Diodorus ille Siculus pronunciauit. Idcirco non mayo-  
rem duntaxat natu filium nobilissimum & literatiss.  
virum Dn. Melchiorum à Pfuell, virtute & peri-  
tia longè præstantissimum: sed hunc etiam juniorem  
disciplinis imbuendum tradidit humanioribus, eumq;  
Fürstenwaldiam, Cotbusium, Brandenburgum in lau-  
dabilem quam Salernianam vocant Scholam animi in-  
genijq; colendi causâ, maturè misit. Vbi solertiae & pietatis  
suae æmulos inuenit multos, testes reliquit quã pluri-  
mos. Ad Academiam nostram vix ante sex hebdomadas  
Consilio tutorum, inprimis magnifici nobiliss. & clarissi-  
mi Viri dn. Christiani Distelmeierij in Radesleben &  
Malsdorff Marchiæ quondam Cancellarij, iudicio ad-  
ductus, ejus industriæ dedit indicia; vt non calcar, at  
frenum videretur paulò post tam acriter & alacriter cur-  
renti iniiciendum: ejus modestiæ & pietatis argumenta  
domi exhibuit, vt nec diceret, nec audiret quicquam  
nisi



nisi quod honestum : nec se aut in quietem compone-  
ret, aut ab ea se leuaret, quin precatone frequenti,  
lectione Bib'iorum diligenti, diuinas operas tum finisset  
tum imhoasset. At o' citam laborum omnium & studio-  
rum periodum : o' fallaces hominum spes & expecta-  
tionem : o' ineluctabile fatum. Dum id vrget cum  
maximè studium, cuius causa huc se receperat, febre  
corripitur repentina, circiter eum quo natus erat ante  
XX annos diem, trigesimum nempe Iunij, omniq; cele-  
rius opinione, priusquam vel agnatis vel cognatis  
quicquam referri posset, vtpote Medicis de salute nes-  
quicquam dubitantibus, nec ijs qui egroti curam impens-  
sissimè habebant, triste aliqui dominantibus, postquam  
auribus animoq; sacra suscepisset alexipharmaca, ex-  
tremum naturæ persoluit debitum. Siue autem malig-  
nitas ea fuerit morbi, siue tacita veneni latentis suspi-  
cio, ex nonnullis in corpore mortuo signis injecta istum  
derepente accelerarit terminum : nostrum est primam  
respicere causam, & hoc ex sacris oraculis statuere :  
ne quidem capillum capitis citra Voluntatem condito-  
ris nostri cadere : Iuuenes mirabili quodam & in-  
scrutabili supremi Iudicis tolli iudicio : vel quia plus  
aliquando ceteris amantur : quemadmodum Veterum  
non ignota gnome : ὃν Φιλᾷ Θεὸς ἀποθνήσκει νέος : quem  
diligit



diligit **DEVS** moritur juvenis: nec exempla siue **Enochi** qui mature non apparuit, quia placuit **DEO** anima ejus: siue **Trophonij & Agamedis**, quos **Apollo** ob pietatem singulare hoc quasi premio mortis subitaneae donarat: siue **Cleobis & Bitonis**, quibus matrem **Cyrippen** ad templum pertrahentibus, equorum aut bouum instar sub jugum missis, **Iuno** non aliud quam quod habebat precium summum tempestivae mortis rependit: vel quia maturius praesentibus eripiuntur malis: tantis quippe repleta malis praesens est **Vita**, juxta **Augustinum**, ut comparatione illius mors remedium esse putetur: vel quia futuris saepe praeripiuntur tempestatibus: siquidem **Pantoptes** ille ex alto profunda maris ac cordis humani perspicacius omni aquila pervidet: aureum statue caput in ferrum lutumque desisset: nouit: & idcirco subtrahit quos seductum aut corruptum, aut obduratum iri praesentit. Quaecumque omnino causa sit, **Voluntatem** supremam nulla antegreditur, quam nec reprehendere nec licet negligere: postquam in ea & ab ea **Vitae** nostrae mortisque uniuersae summa. In ea ergo acquiescendum fuerit lugentibus, imprimis nobilissimo **Dn. MELCHIORI à Pfuell** fratri, & affinibus reliquis: quibus quae de **DEI** in homines affectu & iudicio clementi, de termino uniuersique posito, de es-  
fugio



fugio malorum repentino de carnis resurrectione in sa-  
cris notata leguntur, fidem facere & debebunt & po-  
terunt: benignitati, non seueritati, iuuenis hujus no-  
bilissimi ascribendum esse obitum: metam & à Taxi-  
archo terminum ita fixum, ita fuisse ei attingendum:  
extra omnem impendentium calamitatum timorem eum  
modò constitutū: & resurrecturum deniq; inæstimabili  
gloria, qui nec gloriæ suæ satis hic viuere, nec naturæ  
satis potuit.

Sed nec dubitabit quisquam ex omnibus, Pietati,  
quæ erat in Dn. Henio, tantò majora in cælis redditum  
iri præmia, quantò rarior & mirabilior solet esse pie-  
tas nostro seculo, in ijs, qui agere tantum videntur in  
seculo. Pfulium coluisse sacras literas, inq; ipso mor-  
bo nihil quicquam quam cælestia appetuisse ex Verbo  
DE Iremedia, quæ non inania sunt animorum blandi-  
menta, sed vera angoris & mortis ipsius antidota, certi  
sumus; ac proinde inter beatos omnino numerandum,  
rectè concludimus: siquidem beati, astruente Chri-  
sto, qui audiunt Verbum DEI & custodiunt illud: be-  
ati, confirmante S. S. quibus remissæ iniquitates,  
& quorum tecta sunt peccata: beati, testante Aposto-  
lo, qui in Domino moriuntur. Quocunq; respicias, si-  
ue ad vitam, quam egit inter mortales piam: siue ad  
mortem,



mortem, quam superatis doloribus obiit tranquillam: nec  
vita ipsius culpanda: neq; mors ejus accusanda; præ-  
dicanda vero hoc erit nomine, quod ad cælos ipsi tam su-  
bitū patefecit iter: ubi perfecta nobilitas: tuta sublimis-  
tas, sempiterna securitas. Quia autem exuvijs istum de-  
beri honorem intelligitis, ut decenter majorum Parens  
tumq; inferantur monumentis: & nobilissimi hujus Iu-  
uenis corpus solenni more ad Cæmiterium nobile quod  
est in pago Garzin transferendum: à nobis honorifice  
extra portam Urbis deducendum: Vestrâ testabimini  
Ciues Academici frequentia, & quid ordini Equestri,  
Lycæum nostrum ornanti, tribuatis: & quomodo florem  
nobilissimum, tam acuta falce resectū doleatis; & quam  
ipsi cogitationem de perpetuo celeriq; ad mortem cursu  
alatis. Profectò quotidie morimur, quotidie demitur  
aliqua pars Vitæ, & tunc quoq; cum crescimus, Vita  
decrescit: hunc ipsum quem agimus diem, cum morte  
diuidimus. Clepsydram non extremum stillicidium ex-  
haurit, sed quicquid ante defluxit: & mortem non ul-  
timus dies facit, sed consummat. Hoc cogitate: homi-  
num sortem dolete, mortuo honorem tribuite, &  
Valet.

C. P. D.



In obitu nobiliss. &  
præstantiss. Iuuenis

DN. HENRI A PFVEL,  
hæredis in Garzinn & Trebnitz etc.  
παράμυθιον

**N**on orimur casu, morimur nec, credite, casu,  
Pendet ab arbitrio vitaq; morsq; DEL.  
Ille tulit florem generis, roremq; suorum,  
Spem Patriæ. Sed enim non Libitina tulit.  
Ille ex naufragio in portum, requiemq; locavit,  
Tutus ut æternæ Sabbatha pacis agat.  
Ecquid flere juuat! quid fata, immitia fata,  
Quid miseræ arguimus conditionis opus?  
Credite, nulla DEL, nulla est injusta VOLUNTAS,  
Illius ó placeat, nostra sed ó taceat.  
Tu nimium felix PFVLLI, uiridante sub æuo  
Quem DEVS ad cæli gaudia tanta vocat.  
At nos, quos sensu sine, sensim Vita relinquit,  
Quod sumus, ingemimus: mox erit, & fuimus.

Christophorus Pelargus D.



# EPITAPHIUM

Eiusdem,

Pfuliades dictus, posui mortalia uictus,  
Non Stygis ulla palus, sed mihi certa  
salus.

Cedite qui Lethum non creditis esse vire-  
tum,

Quæ sunt viua, rigent, mortua sola  
vigent.







